





30. num. 16.

13

1764 2  
DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS IVRIS  
GERMANICI  
DE EO,  
**QVOD IVSTVM EST,**  
**CIRCA PORTIONEM STATV-**  
**TARIAM CONIVGI SVPERSTI-**  
**TI, EX DEFVNCTI BONIS DEBITAM,**

QVAM

INDVLGENTE ILLVSTRI FACVLTATE IVRIDICA  
IN PERANTIQA ELECTORALI ACADE-  
MIA ERFVR TENS<sup>I</sup>  
PRAESIDE

FACVLTATIS IVRIDICAE DECANO

**DN. RVDOLPH. CHRISTOPH.**  
**HENNE, IC<sup>TO</sup>**

ORDINIS ICTORVM ET IN EMINENTISS. ELECT. MOG.  
PROVINC. IVDICIO ADSESS. NEC NON PAND. P. P. O.  
DIE XIX. SEPT. MDCCCLXIV.

IN AVDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI H. C.  
PRO GRADV DOCTORIS  
ET SVMVIS IN VTROQUE IVRE HONORIBVS CONSE-  
QVENDIS PVBLICAE ERVDITORVM  
CENSVRAE SVBMITTIT

AVCTOR

**GEORG. FRIDERICVS HENR. HARTVNG**  
ERFVR TENS<sup>I</sup>.

\* \* \* \* \*  
ERFORDIAE, AERE HENR. RVDOLPHI NONNII, ACAD. A TYP.



DISSERTATIO IN AGARVII LIBRI  
GERMANICI

DE

QOD IUSTAM EST.

CGRCY PORTIONEM STAG.

TARIAM CONIUGIUS AFRIC.

EX CHANCIUNIS DEPRAV.

ED. AGRICULTURAE IN TERRA LIGURIA

IN LEVANTIA HABITACULIS AGED

MARINERIS

LEAVATIA VENETIA DILECTIO

DIU HABOPI CHIRTONI

ET HABOPI IGOR

PRO CIVDA DOCTORIS

ET MUS NATRO/ ET ALIE HORUM QUAESTORI

QVENDIS HABITACULIS TERRITORIUM

CENSUERIS SUFFITIT

AQUITOR

GEORG FREDERICVS HENR HARTRANG

SEPARATISSIMA



DISSSERTATIONIS INAVGVRALIS IVRIDICAE  
DE EO,  
QVOD IVSTVM EST, CIRCA PORTIONEM  
STATUTARIAM CONIVGI SUPERSTITI  
EX DEFVNCTI BONIS DEBITAM.

## CONSPECTVS.

§. I. **I**nter omnes societates, coniugalem primam esse  
et antiquissimam, probat.

§. II. Aliter se habere ipsius iura Romanorum, aliter  
Germanorum institutis, docet,

A 2

§. III.

§. III. Ex LL. Germanorum demonstrat, inter coniuges olim obtinuisse bonorum communionem.

§. IV. Hanc communionem plenum continuisse, dominium, euincit.

§. V. Huic communioni in multis prouinciis, recepto iure Romano repudium datum fuisse, obseruat.

§. VI. In illius vicem intrasse portionem statutariam, monet.

§. VII. Quid sit hæc portio, et in quo quantum illius consistat, indagat.


§. VIII. Ad illam acquirendam, requiri matrimonium benedictione sacerdotali munitum, tradit.

§. IX. Insuper requiri matrimonium legitimum, mentionem facit.

§. X. Vtrum etiam matrimonium putatiuum sufficiat? inquirit.

§. XI. Cessare hanc portionem, si sponsalia solummodo contracta fuerint, continet.

§. XII. Matrimonio per diuorium soluto, coniugi innocentis illam deberi, innuit.



3

- §. XIII. Hæredibus etiam illam deberi, coniuge ante diuisioinem mortuo, patescit.
- §. XIV. Hæc applicat etiam ad mortem ciuilem.
- §. XV. Quænam statuta in dijudicandis illius iuribus, sunt attendenda, tractat.
- §. XVI. Vtrum coniux intuitu huius portionis hæres dicendus sit, disquirit.
- §. XVII. Quænam bona in illam computentur, recenset.
- §. XVIII. Priuilegiis illius accenser, quod non testamento auferri vel minui possit.
- §. XIX. Inter præ privilegia etiam refert, quod de omnibus bonis debeatur.
- §. XX. Legitimam liberorum, orto concursu vincere hanc portionem, annotat.
- §. XXI. De remedis ad illam consequendam, competenteribus, agit.
- §. XXII. Paetis dotalibus exstantibus, illam cessare, asserit.
- §. XXIII. Hoc etiam stabilit, coniuge ad secunda vota transiuntem.

A 3

§. XXIV.

§. xxiv. Idem affirmat, adulterio commisso.

§. xxv. Eandem sententiam fouet, de coniuge alterum occidente, vel causam morti præbente.

§. xxvi. Hoc etiam extendit ad coniugem huic portioni renuntiantem tam expresse, quam tacite.

§. xxvii. Huic tractationi colophonem imponit.

Q[uod]cumq[ue] possit in iure combinatorum lectione

non est invenimus



nam levius

ad omnia p[ro]posita

predicatione secundum eum

in secessione

proposita

debet esse



## PROOEMIVM.

Nemo nobis vitio vertet, quod argumentum, quod primo intuitu tritum & vulgare videtur, hoc specimine pertractandum suscepimus. Ut enim inficias ire non possumus, exstare iam varias commentationes, Dissertationes & scriptiones, illud exhibentes & illius indolem tradentes, hoc tamen, ut propositum nostrum missum faciamus, eo minus nobis sufficiens visum est, quo certius persuasi sumus, Autores hoc argumentum tractantes, specialium vel casuum & statutorum solum rationem habuisse, vel etiam generaliter solum  
illud

illud omissis casibus specialibus pertractasse,  
licet illos sua laude frui facillime patiamur.  
Quam ob rem periculum fecimus, vtrum ea,  
quæ generaliter et specialiter hac de re in le-  
gibus potissimum Germanorum literarum  
monumentis consignata sunt, in vna, quod di-  
cunt, compage et in compendio tradi, et ex ve-  
ris fontibus exhibita, quantum speciminis Aca-  
demici ratio patitur, in publicum edi possint.  
Amplissimus enim, quo se extendit, huius ar-  
gumenti campus, vt omnium specialium ca-  
suum mentionem faciamus, omnino non per-  
misit, ideo in cum modo finem intenti fujimus,  
vt potiora huic spectantia momenta in medium  
producamus, et ad id operam nauemus, vt tra-  
ditis illis, casus omisi secundum illorum nor-  
mam dijudicari, & quasi per modum conse-  
ctariorum exinde erui queant. Quod propon-  
sum, an ex voto nobis cesserit, lectorum iu-  
dicio integrum esto.

bulli

§. I.


§. I.

Inter varias in humana vita obtinentes, & ad felicitatem humanam tendentes societates, coniugalis societas primarium & antiquissimum occupat locum. Quis enim est, quem fugiat, hominem adhuc in statu innocencia viuentem diuino instituto, sociam vitæ accepisse, & hanc simplicem societatem maioribus familiarum, ciuitatum, & imperiorum societatibus ansam dedisse, iisque quasi prima statima conciliasse? Rebus igitur sic stantibus, non est quod in admirationem rapiamur, animaduertentes, iura nostra tam Germanica, quam Romana varias in se continere dispositiones, hanc societatem respicientes, illiusque iura, statum et suorem concorrentes.

§. II.

Alia vero semper fuit facies circa iurium dispositio-  
nem, quoad hanc societatem iure Romano, alia iure Ger-  
manico, vtut enim exente fere seculo decimo quinto  
ius Romanum cum integro suo complexu in Germania  
non inuitis statibus fuerit receptum, hoc tamen non im-  
pedimento fuit, quin ius Germanicum in multis capitibus  
fuerit retentum, eoque demum deficiente ius peregrinum  
obtinuerit, licet insistas ire non possimus, iuri Germanico  
etiam in nonnullis captibus per ius Romanum repudium  
fuisse datum. Plane quod communioinem bonorum at-

B tinet,



tinet, magna inter ius Romanum et Germanicum intercedit differentia, hæc enim iuri Germanico natales suos debet, et iure Romano adeo fuit incognita, vt coninges in separatis potius bonis vixerint, hic enim recte pronunciantem IVSTO VERACIO a) revera diuisa est res, et nemo eam possidet in solidum, sed coniux Germanus quiuis totius patrimonii vtrōbique confusi est dominus, et quæ vxoris fuerunt, nunc mariti sunt, et contra.

a) in consuetud. Bambergens. parte 2. quæst. I.

### §. III.

Loquuntur hanc antiquissimam coniugum bonorum communionem LL. Wisigothorum a) Francorum b) et Saxorum c) imo duo ista notissima specula Saxonum d) et Sueicum e) apertissimis comprobant argumentis, neque vxorem de bonis illatis neque maritum de bonis ante initum matrimonium acquisitis inuita altera parte disponere potuisse, dum omnia illorum bona, vnam solummodo repräsentabant speciem, vnam possessionem, et vnicum solum dominium. Qua ex re etiam factum est, vt neuter coniugum aliquid bonorum altero inuito alienare potuerit, sed potius instrumenta donationum, venditionum aliarumque alienationum, expressam consensus alterius partis faciant mentionem, quod adeo frequentabatur, vt etiam summi Principes hanc legem obseruauerint, atque in instrumentis donationum pias causas tangentibus, consensus coniugalis mentionem fecerint, qualia instrumenta in medium profert B. Cancellarius de LVDWIG f).

a)



62

- a) lib. 4. Tit. 2. §. 16.
- b) Tit. 37. §. 2.
- c) Tit. 8.
- d) lib. I. Art. 31.
- e) cap. 38. et 46.
- f) Reliq. MSector. Tom. I. p. 163. et Tom 2. p. 365.

#### §. IV.

Hac communio bonorum varias in iure Germanico conclusiones peperit, iure Romano incognitas, hic spestat v. g. quod coniux superstes, post alterius obitum deficientibus liberis plenum dominium bonorum et solitarium consequatur, et exstantibus liberis usumfructum omnium bonorum consequatur, cesset etiam tali in casu secundum velleianum, ita ut mulier ad debita a marito contracta, soluenda, simpliciter teneatur, nulla habita ratione, utrum pro iis intercesserit nec ne, originem hinc trahunt paroemia Germanica, Huth bey Schleyer, Schleyer bey Huth, Leib und Leib, Gut an Gut, der lechte thut die Thür zu, conf. HERTIVS a) SCHWENDENDOERFER b) SCHVLTZE c) et HARPRECHT d).

- a) lib. I. paroemia 69.
- b) in Diff. de communione bonorum coniugali Lipsiae 1685. habita.
- c) in Diff. de rerum communione Francof. 1685. habita.
- d) de communione lucrorum coniugalium inter coniuges separatos Tubinga 1697. habita.

B 2

§. V.

II. \*\*\*. II.

§. V.

Vt ut igitur hæc communio bonorum ante receptum  
ius Romanum apud Germanos in vniuersum obtinuerit,  
accidit tamen, vt, introducto iure Romano, illa vel peni-  
tus repudiata in nonnullis prouinciis fuerit, in quibusdam  
autem certis limitibus circumsepta, atque superstiti con-  
iugi certain statuta assignauerint portionem, pleno iure  
post alterius mortem vel alia ex causa capiendam. Dan-  
tur tamen adhuc prouincie in Germania nostra, quæ  
seruant prisinam illam communionem, quale quid  
de terris Fuldensibus testatur illustris quoudam de LV-  
DOLF a) sunt vero etiam terræ in quibus plenum iuri  
Germanico quad hunc passum, datum est repudium,  
quorundam spectant v. g. prouinciarum Electoralem Brunsvicens-  
es, teste viro illustri, et de iure Germanico meritissimo  
IOANNE GEORGIO ESTORE b).

- a) in collectione quorundam statutorum prouincialium  
et vrbium Germaniarum pag. 611. seq. tom. 3. obs. forens.
- b) in der Rechts-Gelchrsamkeit derer Deutschen im 99sten  
Haupt-Stück §. 731.

§. VI.

Pleraque vero prouinciarum certam coniugi superstiti  
adsignant portionem, quam ex bonis defuncti consequi-  
tur, quo ipso patet medium has prouincias tenere viam,  
inter ea quæ iure Romano, et quæ iure Germanico dispo-  
rita sunt, quibus suppositis prono fluit alueo, quastiones  
hac de re ortas, non ex iure peregrino, sed patrio esse di-  
audi-

indicandas, ac ad normam huius iuris decidendas. Subintravit enim hæc portio in locum pristinæ communionis bonorum et sic etiam ex domesticis principiis interpretanda, quæ neutiquam ex iure Romano originem trahunt, prout multis argumentis probauit celeberrimus Goettigense Antecessor RICCIUS a)


a) in züberlängigen Entwurf von Stadt-Gesetzen oder statutis im Ilten Haupt-Stück S. 10.

### §. VII.

Est proinde portio statutaria illa pars bonorum, quæ coniugi superficti in bonis præ defuncti lege provinciali vel municipali assignatur, atque ipso iure debetur. Quanta sit hæc portio, regula quadam vniuersali eo minus comprehendi potest, quo certius constat, variam in diuersis provinciis illam adeptam esse determinationem, alibi enim virilis est a) alibi dimidia b) alibi quarta, alibi alia c) certe quod statuta nostra Erfurtensia attinet d) clare disponitur, coniugem superfictem existentibus liberis capere debere portionem virilem, quoad proprietatem, omnem vero substantiam quoad usumfructum eo usque retinere, quo usque ad alia vota non transit, et liberi in matrimonio nati, in coniuctu parentis manent e) coniuge vero ad alia vota transiunte, liberis portionem hereditariam esse extradendam, ipsisque relinquendam, coniuge vero in statu viduitatis manente, liberis peculiarem cocomoniam instituendibus dimidiā portionis hereditariæ solum esse tradendam. Liberis vero non extantibus, et

B 3

con-



coniuge superstite in statu viduitatis manente iuxta hæc statuta f) quartam partem vniuersæ hæreditatis coniux consequitur, et vniuersum patrimonium quoad vsumfructum retinet, quem demum per secundas amittit nuptias.

- a) statut. Brunsvicens. Tit. 19. §. 1.
- b) statut. Mindensi. Art. 16.
- c) constit. Sax. 20, parte 3, ibique CARPZOVIVS.
- d) Churfürstl. Magdeburg. Statuta in Suec. Fällen ab intestato vor die Stadt Erfurt Tit. 4.
- e) loco citato §. 2. et 5.
- f) loco citato §. 13.

#### §. VIII.

Hicce in genere præmissis, disquirendum erit, quibus personis competat hæc statutaria portio? Vbi facilis est responsio, illam competere coniugibus mediante benedictione sacerdotali vnitis, vt pote per quam verum et legitimum matrimonium constituitur, ita, vt iure communii nulla habeatur ratio, vtrum per concessionem thalami illud fuerit consummatum, nec ne, recte animaduertente STRYCKIO a) apposite hinc disponunt statuta nostra Erfurtensia b) desigleichen zu obseruiren: daß alles, was de successione coniugum statuirt worden, dahin zu verstehen sey, wenn ein Paar mit einander per benedictionem sacerdotalem, sie m̄dgen nun hieraufeinander beygelegen seyn oder nicht, ehelich getrauet worden. Ex quo prono fluit alueo, stante hac iurium dispositione, nequidem stuprata, postmodum in matrimonium ducta, portionem statutariam esse

esse denegandam, prout recte iudicarunt Icti Ienenses apud LYNCKERVM c). In alia vero omnia hic eundum est, quod attinet Ius Saxonum, in quo literarum monumentis consignatum est d) solam benedictionem sacerdotalem, ad consequendam hanc portionem non sufficere, sed insuper etiam concessionem thalami, accedere debere.

- a) de successione ab intestato Diff. 4. cap. 3. thes. 2.
- b) Tit. 4. §. 15.
- c) in decisionibus, decis. 405.
- d) Sächsis. Land. Recht lib. I. Art. 45. et constitut. Sax. parte 3.

### §. IX.

Præter benedictionem sacerdotalem, requiritur etiam, ut matrimonium in ordine ad consequendam portionem statutariam, sit legitimum, quomodo enim legis beneficio dignus haberi poterit, qui contra legem peccat? ad legitimatem matrimonii autem non sufficit, quod secundum ius commune illud pro legitimo habeatur, sed præterea requiritur, ut statutis illius loci, ex quo successio petitur, si conforme, quo cessante, cessat etiam beneficium statuti, hinc matrimonium furtuum non producit hunc effectum, ut coniuges contra statuta clandestinam benedictionem impetrantes huius portionis habiles haberi possint, prout præjudicio hoc illustrat STRYCKIVS a) idem dicendum erit, si matrimonium in quodam gradu consanguinitatis et affinitatis statutis loci sit prohibitum, alibi

vero

vero permisum, et de facto contra statuta contractum, ex quibus conficitur, omnes nuptias adulterinas et incestuosas portionem hanc plane excludere, et cum concubinaria coitiones, pariter pro iustis nuptiis non sint habenda, illas etiam excludere hoc beneficium legis eo magis patet, quo evidentius constat, eiusmodi coitiones Germanis semper fuisse inuisas.

a) de successione ab intestato Diss. 4. cap. 3. thes. 3.

§. X.

*Huc usque egimus de matrimonio vero et legitimo, nunc igitur etiam erit circumspiciendum, quid iuris sit circa portionem statutariam intuitu matrimonii putatiui. Est autem matrimonium putatiuum definitente HERTIO a) quod bona fide et solenniter saltim opinione unius coniugis iusta, contractum, inter personas iungi veritas, subsistit. Habetur eiusmodi coniux bona fide matrimonium tale contrahens pro legitimo coniuge, omnesque effectus qui iure communi insunt nuptiis veris, etiam putatiuis, quoad illum qui bona fide iis vtitur, inesse censemur, illi vero effectus, qui ex iure singulari vel priuilegio, veris nuptiis tribuuntur, ad putatiuas, tacente lege, non pertinent, recte statuente HERTIO b) cum vero inter effectus iuris communis, eodem sentiente HERTIO c) bonorum communio spectet, et portio statutaria vice illius ex supra allatis fungatur, nulla obstat ratio, quare putatiuus coniugibus haec portio non sit tribuenda, siquidem coniugi bona fide vtenti ius ex pacto tacito quasitum est, quod aqui-*

æquipollet statuto, hinc etiam eiusmodi pactum tacitum defendit GONZALETZ TELLETZ d) frustra dissentiente KOHLIO e) defendant, coniugem putatitium, ne quidem ciuilem capere posse portionem, eadem enim ex ratione quo ius ex pacto quæsitum bonam fidem habenti, citra iniuriam, adimi non potest, ita etiam lucrum statuto debitum coniugi putatiuis nuptiis iuncto eripi non potest.

- a) in commentatione de matrimonio putatiuo §. 6.
- b) in commentat. modo adducta §. 21. et 37.
- c) in commentat. modo laudata §. 25.
- d) ad c. 2. X. de donat. int. vir. et vxor.
- e) de successione coniugum parte post. num. 119.

## §. XI.

Cum ex modo deductis luculenter appareat, non nisi sacerdotali copula iunctis statutariam deberi portionem, sponte sua sequitur, si solum sponsalia intercesserint, et aliquis desponsatorum ante hanc benedictionem, naturæ debitum reddiderit, superstitem nullo iure posse petere hoc lucrum, nos equidem non fugit, sponsalia, quæ de praesenti vocantur et consensu perfecta sunt, iure Romano nuptias facere a) attamen analogia iuris satis docet, eo solummodo sensu, consensum nuptias facere, ut perfecta exinde nascatur obligatio, ad id directa, ut consummantur mediante solenni deductione in domum Romanis sueta, non vero ad impetrandam successionem, per matrimonium actuale demum radicatam, optime animaduententibus STRYCKIO b) CARPZOVIO c) LAVTERBACHIO d) hinc

C

etiam

etiam statuta nostra Erfurtenia, nullos coniuges quoad hunc agnoscunt effectum, nisi accedente copula sacerdotali vnitos, accedit et hac ratio, quod statutum disponens de marito et vxore, ad personas desponsatas solum, propitiis legitimis interpretationis regulis, extendi non possit.

- a) l. 30. ff. de Regulis iuris.
- b) de successione ab intestato Diss. 4. cap. 3. thes. 6.
- c) in Iurisprud. Eccles. lib. 2. definit. 142.
- d) de societate bonorum coniugali cap. 2. §. 19.

### §. XII.

Quodsi matrimonium per diuortium totale ex mente et doctrina Protestantium sublatum sit, et coniux huic diuortio ansam dans, moriatur, nullum est dubium partem innocentem lucrari hanc portionem, in propatulo enim est, interpretes uno ore tradere, coniugem adulterantem lucro statutario priuari debere, conf. CARPZOV. a) BERLICH b) COLERV c) et HEESER d) et maritum lucrari dotem adulteræ et malitiosæ desertricis e) ex hac analogia igitur eo certius confici potest, parti innocentis hoc lucrum esse adiudicandum, quo apertius axioma est, delicta suos debere tenere autores, neque directo nec indirecte in alterius innocentis damnum et præiudicium cedere debere, nec obstat, quod inter coniugem defunctum et superstitem coniugium amplius non subsliterit, hoc enim potius firmat, quam destruit sententiam nostram, siquidem omnes effectus sublati matrimonii in præiudicium partis innocentis vergunt. Quin idem obtineat, si inter coniuges sepa-



19

separatio quoad thorum et mensam, solummodo obtinuerit, et una pars pendente hac separatione, mortua fuerit, nulli dubitamus, præcipue, cum per hanc separationem, vinculum matrimonii non fuerit sublatum, sed ad tempus tantum suspensum, usque dum animi discordiis distracti iterum ad concordiam fuerunt reducti, vid. FORSTERVS f).

- a) in praxi crim. parte 2. quæst. 64. num. 17.
- b) parte 4. const. 29. num. 22.
- c) parte I. decis. 176.
- d) de communione bonorum parte 2. loc. 16. num 321.  
et 355.
- e) l. 24. C. de iure dotium et Nou. 117. cap. 8. §. 2.
- f) de success. lib. 9. cap. 3. num. 30. in fine.


### §. XIII.

Non solum haec portio debetur coniugi superfliti, adhuc in viis existenti, sed etiam haeredibus ipsius, ante bonorum diuisionem coniuge e vita decedente, eo ipso enim quo statuta, quæ legum instar sunt, illam coniugi attribuunt, ipso iure illa desertur, et mediante acquisitione legali confertur, vtut actualis eiusdem agnatio et acceptatio nondum secuta fuerit, quia sufficit quod coniux ius a lege quæsumum habuit, quod ad alios tam per testamentum, quam ab intestato deuolui potest, vti hoc pluribus docuit MEVIVS a).

- a) ad Ius Lubecense parte 2. Tit. 2. Art. 12. num 346. seq.

### C 2

### §. XIV.



### §. XIV.

Mortem cūilem æquipollere naturali, tralatitium est, et quod mors ciuilis inducatur, si ob delictum commisum, delinquentis bona sint confisca et fisco addicta, leges clarissime iubent a) quin igitur hoc in casu coniux portionem statutariam præcipuam habere debeat, cum MEVIO a) eo firmius statutius, quo aquius est, hanc poemam non esse extendendam in præiudicium innocentis coniugis, vt pote qui quoad hoc lucrum ius habet ex lege quæsum, a fisco non auferendum, licet enim fiscus hæc bona non tanquam hæres et ex titulo vniuersali capiat, at tamen constat fiscum esse obligatum ad as alienum soluendum in bonis confiscatis radicatum, ad quod etiam spectat hæc portio a Legibus coniugi tributa.

a) ad Ius Lubecense parte 2. Tit. 2. Art. 12. num. 37. seq.

### §. XV.

Visis nunc personis, quibus competit portio statutaria, et obseruatis casibus, in quibus locum habet, quæstio erit indaganda cuiusnam loci statuta in determinatione quantitatis illius, et in diiudicauis iuribus ad illam spectantibus, sint inspicienda, et ad quorum normam controversia desuper orta, sint decidenda? ad quam quæstionem diiudicandam distincio erit facieuda, inter bona mobilia et immobilia, a coniuge relicta, quoad mobilia erit ad forum domicilii sive habitationis respiciendum, et ex statutis huius loci controversia dirimenda, et hinc non respiciendum, ad forum originis, ex quo mulier duxta,

ducta, vel maritus initia viuendi cepit, nec ad illud forum, in quo matrimonium contractum fuit, neque etiam ad forum, in quo coniux vitam finiuit, sed potius domicilii forum, omnia alia quoad hunc passum vincit, teste BRVNNEMANNO a) ex quo etiam conficitur, coniuge in duabus locis domicilio et habitatione gaudente, vtriusque loci iura seruanda esse, et mobilium secundum horum diversorum statutorum normam fieri successionem, habitatione, illius loci, vbi deprehenduntur, obseruante VOETIO b). Quod vero attinet immobilia, portionis statutariorum controversia, ex dispositione illius loci, vbi sita sunt, erunt componenda, cum domicilii flatuta, ultra statuentis iurisdictioiem, non sint extendenda, licet etiam in res alibi sitas nominatim concepta fuerint, prout multis praedictis docuerunt RICHTER c) CARPOV d) STRVVIVS et STRYCKIVS f).

- a) cent. 3. decif. §4.
- b) de statutis sect. 9. cap. 1. §. 9.
- c) de successione ab intestato in Prooem. n. 35.
- d) parte 3. const. 12. def. 12.
- e) Exercitat. ad. ff. 38. thes. 44.
- f) de successione ab intestato Diss. 4. cap. 4. §. 2. et 3.

### §. XVI.

Nunc discutienda erit quaestio: vtrum coniux portionem statutariam ex defuncti coniugis bonis capiens, haeres dici queat? anceps haec quaestio olim ietros Wittenbergenses, et Lipsienses, in diversas traxit partes, Witten-

C 3 ber-

bergenibus affirmatiuam tenentibus, Lipsiensibus negatiuam defendantibus, referente WERNHERO a). Nobis vero cum LEYSERO b) neutras partes sequentibus, arri-det distinctio a lato hoc admodum perspicaci in medium prælata, si enim, ut plerunque sit, portio hæc in parte quota, dimidia, tertia, quarta et sic porro consistit, coniux eam capiens omnino hæredis nomine venit, nec obstat, coniugi hanc portionem iure statutario et singulari deferri, quis enim est, quem fugiat, statuta quoque aliquem hæredem facere posse, et re ipsa facere, dum illi certam quantitatem hæreditatis tribuunt? quæ non potest non etiam oneribus hæreditariis coniuncta esse, deficiente alio titulo quo coniux intuitu huius quotæ designari possit, ad titulum legari enim portio hæc nequaquam potest referri, quia ut debitum consideranda est, cum e contra legata liberalitate, nullo iure cogente, in legatum proficiantur. Conuenit potius cum illa portione, quam leges ciuiles c) coniugi superstiti inopia laboranti adsignant, atque coniugem intuitu illius, pro hærede habent d) et nihil impedit, quo minus talenm coniugem pro bonorum possessore habeamus, qui etiam in Legibus Romanis, nomine hæredis venire solet e) ex quo non potest sequi non, coniugem exercere et excipere actiones hæreditarias, ad æris alieni solutionem teneri, et actiue non solum, sed et passiue defunctum, intuitu huius portionis representare, quod etiam æquitati tunc quam maxime responder, quando portio hæc statutaria, integrum continet hæreditatem, et coniugi eam exclusis fratribus et sorori-  
bus



bus desert, vti id in Ducatu Brunsvicensi disponitur, et in statutis nostris Erfurtenibus eo in casu sanctetur, quando quis decedit nullis consanguineis relictis f). In alia omnia vero tunc eundum est, quando non quota, sed res quædam singularis, superstiti coniugi ex statuto debetur, hoc pertinet v. g. maritus in Saxonia, qui in mobilibus vxori sua succedit, et vidua nobilis, quæ nomine dotalitii duplices vel quadruplices dotis usurpas accipit, et in terris iuris Saxonici Geradam, commestibilia et mongengabam conse-quitur, qua personæ nomine hæredum non possunt indigitari, præsertim cum maritus mobilia capiens in legibus Saxoniscis hæredi expresse opponatur g) eique contra distinguitur.

- a) parte I. obs. 320. in meditat. ad ff. specim. 425. medit. 1. et 2.  
b) scoth. præterea C. vnde vir et vxor.  
c) Nouell. 53. cap. 6. §. 1.  
d) l. 117. ff. de Regulis iuris.  
e) Tit. 4. §. 2. in verbis: Da nun kein dergleichen pa-  
ckum oder lezte Willens-Verordnung vorhanden, und  
ein Mann weder Kinder noch Eltern, auch keine Ge-  
schwister oder andere Anverwandten, sondern allein sein  
Eheweib verläßt, so ist diese dessen Erbin in solidum,  
welches denn auch bey dem Mann, falls das Weib vor  
ihm, ohne Nachlassung einiger Anverwandten stirbe,  
statt findet.

g) Land-Recht lib. 1. Art. 31. it, l. 3. Art. 76.

## §. XVII.

§. XVII.

Computantur vero in hanc portionem statutariam, non solum ea, quae superstes coniux titulo vniuersali, sed ea etiam quae titulo singulari mediante legato vel fideicomisso, accepit, imo etiam donationem simplicem conferendam esse, recte animaduertit Illustris BOEHMERVS a) cum enim coniux respectu huius portionis sit debitor necessarius, animo compensandi legatum, donationem et fideicomissum dedisse censetur, nec in iis quae necessitate urgente fiunt, liberalis fuisse existimandus est, sentiente ita CARPOVIO b) et STRVVIO c). Excipiuntur vero ab hac computatione bona feudalia, qua iure hereditario non deferuntur, altero vero est sentiendum de fructibus feudi, quippe qui allodialium nomine veniunt, et collationi sunt obnoxii. Deinde etiam cessat computatio, coniuge defuncto, illam remittente, et superflite per duos testes, remissione inter viuos facta, illam probante, censente LYNCKERO d) ita, ut tali in casu nequidem donatione simplex computanda sit, siquidem statutum facultatem remitendi collationem prohibuisse non videtur.

a) consult. et decis. tom. 2. parte I. Resp. 627. num. 31.

b) parte 3. const. 20. def. 29.

c) Exercitat. 38. thes. 39.

d) decis. 27. et 461.

§. XVIII.

Inter priuilegia huic portioni a Legibus data, primum occu-

occupat locum, quod testamento coniugis neque auferri nec diminui possit, est enim intuitu huius coniugi superstiti in bonis defuncti ius a lege quæsum, inquit non auferendum, prout pluribus hoc argumentum prosequuntur PETRVS PECK a) PISTORIS b) et CARPZOVIVS c) quam ob causam etiam statuta nostra Erfurtenia d) disponunt dispositionem coniugis testamentariam, non debere prajudicio cedere coniugi superstiti quoad portionem statutariam, quod eo usque sibi locum vindicat, ut licet statutum coniugi superstiti totam defuncti coniugis substantiam, deserat, ea tamen per testamentum diminui nequeat, prohibito enim generalis omnia sub se continet, nullamque exceptionem admittit, non obstante communi illa cantilena, testandi facultatem nemini esse auferendam, nec restringendam, quando enim lex auferit illam facultatem, non est, quod desuper amplius disceptemus, dantur siquidem varii casus in legibus nostris, in quibus testamenti factio partim ob poenam, partim ex ratione ciui- li restringitur vel auferitur, quod omnino propitia aquitate et iure fieri potest, quia potestas testandi a legibus est indulta, et sic etiam legum dispositioni subiacet, vid. C O L E R V S e). Nec minus inter priuilegia huius portionis est referendum, quod nec coniux coniugi per affirmationem vel taxationem viliori pretio factam praividicare possit, nec coniux exinde lasum se sentiens, in illa acquiescere debeat, sed laisionem probans, prævia taxatione alia a iudice per peritos facta, vt secundum hanc sibi portio haec adsignetur, petere possit, alias enim, quod una via prohibi-

D

bitum



bitum foret, altera per indirectum concedeatur, et fraus fieret legi, quod vero analogia iuris quam maxime contrarium foret, conf. CARPOV. f.)

- a) de testamentis coniugum lib. 4. cap. 1. seq.
- b) parte 1. quast. 31. num. 7.
- c) parte 3. const. 7. def. 8.
- d) Tit. 4. §. 8. in verbis: trüge es sich aber zu, daß et-  
wan der Verstorbene eine Disposition aufgerichtet hät-  
te, darbei möchte es denn auch sein Verbleiben haben,  
falls solche Disposition den hinterbleibenden Ehegatten  
an seinen statutarischen Kindes-Theil oder portion  
nichts benommen würde.
- e) parte 2. decis. 286. num. 181.
- f) parte 3. const. 7. def. 10.

### §. XIX.

Nec minus priuilegiis huius portionis accensendum est, quod de omnibus ad hereditatem allodium perti-  
nentibus bonis deducenda sit, nulla habita ratione, utrum  
mobilia, an immobilia, corporalia, an incorporalia sint,  
ita, ut nec coniux superstes teneatur, ad certam rem  
loco illius ex hereditate, acceptandam, sed illi portio de  
singulis bonis debeatur, docente MEVIO a) solo excepto  
marito Saxonico, omnia defuncta vxoris mobilia capien-  
te, ac his exstantibus, nihil de immobilibus participante,  
qua tamen extra Saxoniam non obtinent, monente STRV-  
VIO b). Pariter etiam in censum horum priuilegiorum  
venit, quod coniux superstes, etiamsi nihil intulerit, huius  
por-

¶ \* ¶

portionis particeps fiat, et si illata bona perierint, nulla  
intercedente ipsius culpa, illa hoc non obstante sarta te-  
cla maneat, vid. KOHL. c)

- a) ad Ius Lubecense part. 2. Tit. 2. Art. II. n. 287,
- b) Exercitat. 38, thes. II.
- c) in Declarat. const. March. quæst. 3. num. 5.

### §. XX.

Quodsi inuicem concurrant liberi, petentes legiti-  
mam, et coniux desiderans portionem statutariam, nul-  
lum est dubium legitimam liberorum vincere hanc por-  
tionem, et hac demum constituta, ex reliquis bonis satis-  
faciendum esse coniugi, eam potissimum ob causam, quod  
antiquior sit legitima liberorum et ipso etiam iure natura-  
li, saltim quod alimenta attinet debita, econtra vero por-  
tio statutaria iure positivo demum introducta fuerit conf.  
CARPZOV. a) et SCHILTER b) accedit et hæc ratio, quod  
legitima iure vniuersali liberis et vtrobique debeatur, hæc  
portio vero demum iure statutario et singulari sit intro-  
ducta.

a) parte 6. Resp. 48.


b) in Exercitat. ad ff. Exercit. 14. §. 57.

### §. XXI.

Traditis nunci iuribus, circa hanc portionem obtinentibus,  
agendum etiam erit de remediis, ad illam consequendam,  
competentibus, quæ duplicitis sunt generis, alia possesso-  
ria alia petitoria, ad petitoria remedia pertinet hereditatis

D 2

peti-



petitio; utpote quæ non solum competit hæredi vniuersali, sed etiam particulari a) docente et formula quadam  
hoe illustrante SCHWENDENDOERFERO b) co mperit  
etiam actio in factum tradente SCHILTERO c) imo etiam  
sola officii iudicis imploratione coniugem sibi consulere  
posse, eo minus dubii haber, quo certius constat, praxin  
nostram forensem non amplius nostris temporibus, for-  
mulas actionum tam stricte ancupari, vt ab iis recedere,  
piaculum sit, insuper etiam coniugi tali competunt, reme-  
dia adipiscendæ, retinendæ, et recuperandæ possessionis;  
ita, vt etiam ex possessione deieclus, ex capitè spolii resti-  
tuendus sit, tradente FABRO d) et CARPOVIO e).

a) tit. ff. si pars hæredit. petatur.

b) de action. successi. pag. 158. 160. et 163.

c) in Exercit. ad ff. Exercit. 14. §. 56. nle hanc mibz. A

d) in Cod. lib. 5. Tit. 7. def. II. nle hanc mibz. B

e) parte 2. const. 25. def. 8. nle hanc mibz. C

## §. XXII.

Ordinis rationem habituri, nobis nunc etiam agen-  
dum erit, de contrariis huius portionis, siue iis de casibus,  
in quibus illa cessat. Pertinet huc i) quando pacta dota-  
lia inter coniuges sunt inita, quæ adeo impediunt huius  
portionis petitionem, vt coniux ea portione quæ ipsi in  
his pactis adsignata fuit, contentus esse debeat, licet etiam  
tantum per pacta hæc non consequatur, quantum portio  
statutaria continet, quia prouisio hominis facit cessare  
prouisionem legis a) monentibus STRVVIO b) et EYBE-

NIO

NIO c) ex quo sit, ut statutum coniugi certam portionem adsignans, et insimul disponens, nullo modo huius portioni fieri debere praejudicium, illo non obstante, pacta dotalia tamen minorem portionem adsignantia, firma manent ac stabilia, ac coniugi superstiti non concedant, ut missis illis, portionem hanc optare possit, prout variis argumentis demonstratum iuerunt CARPZOVIVS d) BRVN-  
NEMANNVS e) et BERLICHIVS f) quod eo usque procedit, ut ne quidem specialis renunciatio huius portionis necessaria sit, quia coniuges per pacta huiusmodi statutaria portioni ipso facto renunciante censemur, teste KOH-  
LIO g) nulla etiam habita ratione laetionis ultra dimidium, monentibus CARZOVIO h) MEVIO i) et STRY-  
CKIO k).

a) l. 2. C. de except. rei iudicata.

b) Exercit. 38. thes. 39.

c) Elect. Feud. cap. 6. §. 5.

d) parte 3. const. 20. def. 1. et const. 23. def. 1.

e) cent. 2. decif. 61. num. I.

f) parte 3. concl. 27. num. 28. seq.

g) de success. coniugum parte 2. num. 100.

h) parte 3. const. 20. def. 3.

i) ad Ius Lubecense parte 2. Tit. 2. Art. 12. n. 382.

k) de success. ab intestato Diff. 8. cap. 5. § 26.

### §. XXIII.

Deinde 2) cessat portio statutaria, ac coniux illius particeps factus, illam amittit iterum, si transit ad secunda

D 3

da



da vota, secundæ enim nuptiæ, omni sere tempore odio  
habita fuerunt, et inuestis in orbem Romanum chri-  
stianis sacris, odium hoc maiora cepit incrementa, san-  
ctus HIERONYMVS a) viduam iterum nubentem exscrata-  
tur, canemque vocat reuertentem ad vomitum, et suem  
lotam ad volutabrum luti, quod odium sequioribus se-  
culis etiam late deducente ILLUSTRI LEYSERO b)  
continuauit, aiunt quidem dissentientes iure canonico omnes poe-  
nas secundarum nuptiarum aeterno mulieratas fuisse exi-  
lio, verum iam diu alii obseruarunt, haec, quæ in fau-  
orem liberorum prioris matrimonii statuta sunt, iure  
Canonico sublata non esse, textumque iuris Canonici c)  
quibus tantum infamia, in festinationem secundarum  
nuptiarum statuta, abrogata, male ad eas trahi, do-  
centibus HVBERO d) STRYCKIO e) et GGNZALETZ  
TELLETZ f). Hisce igitur suppositis, quin illa consti-  
tutio iuris Romani etiam ad portionem statutariam ap-  
plicanda sit, nulli dubitamus, statuta enim nostra ita  
interpretanda sunt, ut quantum fieri potest, minimum  
a iure communi recedant, caque quæ illis non decisa  
sunt, ex iure communi suppleantur, præiudicio hoc  
firmante modo laudato LEYSERO g).

a) epist. 10. ad Furiam Tom. 1. p. 89. [seq.

b) in meditat. ad ff. specim. 300. medit. 1. et 2.

c) c. 4. et 5. X. de secund. nuptiis.

d) in prælect. ad ff. Tit. de secund. nuptiis §. 12.

e) in vsu moderno Tit. de ritu nuptiarum §. 33.

f) in

- f) in cap. 5. X. de secundis nuptiis num. 9.  
 g) in medit. ad ff. specim. 300. medit. 6.

### §. XXIV.

Priuatur 3) coniux hac portione sibi debita, ob vio-  
 latam fidem coniugalem, adulterio commisso, traden-  
 te MEVIO a) cum quo etiam conueniunt statuta Ham-  
 burgensia b) in verbis: Ein Weib, so ihrem Manne bey  
 seinem Leben untreu geworden, und solcher Unthet gnug-  
 sam überzeuget, hat nach Absterben des Mannes aus sei-  
 nen Gütern mehr nicht zu fordern, als was etwa dersel-  
 be aus guten Willen ihr gegeben und geordnet. Ut vero  
 locum habeat haec pena, probatum sit adulterium, ne-  
 cesse est, cum autem hoc delictum remotis arbitris et  
 in secreto perpetretur, hinc talis probatio<sup>1</sup>, qualis ad  
 infligendam criminalem penam requiritur, quoad hunc  
 effectum non est necessaria, sed etiam violentæ et vr-  
 gentes præsumptiones sufficiunt, idque eo magis, quo  
 apertius constat, diuortium etiam ex præsumptionibus  
 violentis, sibi locum vindicare, vid. MYNSINGER c)  
 et BOCERVIS d).

- a) ad Ius Lubecense parte 2. Tit. 2, Art. 12, num. 408.  
 b) parte 3. Tit. 3. Art. II.  
 c) in Respons. 1. num. 37.  
 d) de adulter. cap. 4. num. 13. seq.

### §. XXV.

## §. XXV.

Nec minus 4) lucro hoc coniux priuatur, si coniugem occidat, vel ansam morti prabeat per negligenciam, debita medicamenta non adhibendo, agrotum derelinquendo, vti enim coniux hoc modo portione ciuiliter debita priuatur a) ita ob identitatem rationis, vt ita loquamur, illud etiam in portione statutaria locum habebit, siquidem ratio in tuendo matrimonio sita est, quæ in casu hoc pariter militat, tradente COLE-  
RO b). De eo vero controuertitur, vtrum coniuge hac portione carente, illa ad fiscum perueniat, vel hæredibus testamentariis aut ab intestato accrescat? quodsi analogia iuris rationem habemus, hæc quæstio pendet ab illa quæstione, vtrum coniux se hac portione indignum reddat, an incapacem illius? er nulli dubitamus, quin indignum se reddat, quo in casu ex clara legum dispositione c) fiscus illam consequitur, quæ enim scelere quæsita sunt, fisco cedunt, alia omnia vero locum haberent, si se incapacem portionis huius efficerit, quo casu illa hæredibus testamentariis vel ab intestato accresceret, quia autem ille qui directo vel per indirectum mortem coniugis causatur, delicti et quidem grauissimi se reum reddit, quam maxime indignus habendus erit, lucro quodam a coniuge necato in se redundantे.

a) 1. si ab hostibus §. 1. ff. solut. matrim.

b) parte 1. decif. 178.

c) I. 9. ff. de iure fisci.


## §. XXVI.

## §. i. XXVI.

sod Denique <sup>a)</sup> cessat hæc portionis petitio coniuge illi renunciante, illamque repudiante, ac propria bona illata, repetente, arbitrio enim superstitis coniugis relinquitur optio utrum hac vel illa via sibi consulere velit, quæ optio tam de iure Saxonico, quam communis testis STRVVO a) obtinet, interest autem quam maxime, an coniux portioni statutariorum ante nuptias, an post nuptias renunciet, priori enim casu nullo iure iurando, aut alia solennitate indiget hæc renunciatio, quia monente CARPOZOVO b) ciusmodi coniux non vere renuntiat, sed paciscitur solum, quantum iuris in ipsam per nuptias transferri debeat, nuptiis vero contractis, ius ipsi quodammodo quantum est, in futuram hereditatem, cui non aliter, nisi prævio iuramento et facta certioratione renunciari potest c) cum pacta ad id, quod nescierunt pacientes, non extendantur, prædicio hoc illustrante Illustri LEYSERO d). Non solum vero expressis verbis, sed etiam tacite fit renunciatio huius portionis, coniuge illam testamento superstite eripiente, atque superstite hoc testamentum agnoscente, hoc enim modo testamenta invalida, omnino valorem consequuntur, prout hoc argumentum late et docte persecutus est meritissimus STENGERVS e) neque etiam Illustris LEYSERVIS f) iuramentum hoc in casu necessarium putat, utpote quod in futuris hereditatibus per renunciationem repudiandis, non vero in iam delatis requiritur. Cum vero renunciatio sit stricti iuris

E

et



et stricta interpretationis, hinc si coniux etiam sciat, alterum contra portionem statutariam disponere, hoc ipso in illud taciturnitate sua non consensisse existimandus est, quia leges ad contradicendum illum non obligant, sed potius illum salvo iure suo tacuisse, statuunt g) accedit et haec ratio, quod eiusmodi silentium tacitam renunciationem hereditatis involueret, absque iuramento non valentem.


- a) Exercitat. 38. thes. 41.
- b) parte 3. constit. 7. def. 13. num. 3. et 4.
- c) c. 2. de pactis in 6to.
- d) in medit. ad ff. specim. 425. medit. 4.
- e) in Diff. inaug. de ultima voluntate approbat. et consensus indiga hic Erfurti 1746. habita.
- f) loco citat. medit. 7.
- g) arg. l. 35. §. 2. C. de inofficio testamento.

### §. XXVII.

Hac igitur sunt, quae pro temporis instituto de hoc argumento proferenda putauimus, nihil magis in votis habentes, nisi, ut omnia in meliorem interpretentur partem, et aqui bonique consulantur, cuius voti, si damnati erimus, felix erit, tractationis huius

FINIS.

E



non sufficiunt boni duci. Tunc ex aucto et prosectorum posse  
bonorum scientiarum et artium auctoritas aperte manifesta ex his  
in Te etiam complicitam et insinuantem iuguram, iudee curia  
jus. Dicitur. Dicitur. Dicitur. Dicitur. Dicitur. Dicitur.

**NOB LISSIMO ET CLARISSIMO DN.  
CANDIDATO**

MDCCLXIV.

S. D.

**PRAESES.**

**N**on heri aut nudius tertius demum, sed a multis iam  
retro annis mihi innotuit, studiorum Tuorum rite  
ineundorum et prosequendorum ratio, ex qua etiam fa-  
ctum est, ut non solum in hac nostra, sed etiam Ienensium  
Academia, nunquam ab ea et a Te ipso discesseris, sed ni-  
hil reliqui feceris, nisi ut iter Tuum literarum felici suc-  
cessu conficeres, et syrtes, prærupta saxa, ac vortices eui-  
tares. Respondet nunc consiliis Tuis optime ceptis, euen-  
tus, dum post certamen, præmium, post victoriam laurum,  
quam Tibi decreuit ordo noster, ex merito reportabis

1000000

E 2

aliis

aliisque ad studia pari ardore prosequenda, exemplum  
praibis. Vt vero ex hoc voluptatem cepi singularem, ita  
non possum non quin Tibi ex vero et sincero animo hos  
honores gratuler, et in votis habeam, ut uberrimi ex iis  
in Te et rempublicam redundant fructus, iisque cumu-  
latus, perpetua fruaris felicitate Tibi et familiae Tuæ ex-  
optatissima. Dabam in Academia Hierana d. XVIII. Sep  
MDCCLXIV.



Freund!



Freund! stolz auf Dich, entflohen dem Gestimmel,  
Schlüpf ich zum stillen Helicon;  
Da seh ich Dich, im akademischen Himmel,  
Umkränzt auf Minervens Trohn,

Der Zweikampf glüht; und Du erringest Ehre;  
Wie applaudiert die mein Herz!  
Der Musen Chor jauchzt um die ganze Sphäre;  
Der Wunsch wallt durch der Freundschaft Herz.

Das ist der Lohn für Deinen Fleis, mein Bester!  
So viel geschäftiger Stunden Lohn;  
Saline sprach: Gerane! meine Schwester!  
Belone mir den Musensohn.

Gerane tuhts; — Bald steigt auf prächtgen Stufen  
Der Sohn dem Vater würdig nach.  
Vom Glück zu Glück, vom Ruhm zu Ruhm gerufen; —  
Wie festlich glänzt schon dieser Tag!

Freund!

Freund! Dessen Brust an meiner Brust geschlagen,  
Dein Kus — wie oft war er vor mich?  
Nun las Dir es, zu meiner Freude sagen,  
Bald — kom als Doktor kus ich Dich!

Schon glänzet er der Lorbeer Deiner Ehre,  
Sich doch, wie hold Minerva winkt!  
O daß der Tag des Ruhms schon näher wäre,  
An dem ein längeres Lied Dich singt!

Mit diesen freundschaftlichen Zeilen  
begleitete den Herrn Doktor an den beider Rechten  
auf das ehrenvolle Catheder  
dieselben aufrichtig ergebenster Freund  
M. Joachim Christian Lossius  
Prediger des göttlichen Worts bei der Gemeinde in Marbach, und der Evangel.  
Schule zum Barfüßern  
Conrector



VIRO



VIRO  
PRAENOBILI AC DOCTISSIMO  
I. V. DOCTORANDO  
FRATRI SVO PER QVAM DILECTISSIMO

HIERONYMVS GOTTLIEB HARTVNG

REV. MINISTERII CANDIDATUS.

**S**i vñquam in animo meo oborta est lætitia: mehercule gaudio et voluptate iamiam perfundor, quo summum honoris gradum Te assūmturum, certior sum factus. Gratulatione perfungens mea, diem hunc lætam optimis prosequor omnibus. Supremum omnium rerum arbitrum supplex veneror, ut *Tibi* singulis diebus gratia sua et ope præsto sit, er corpus non minus, dignetur. Gratulor quoque *Dominino Parenti nostro*, ad cineres usque nullo non pietatis cultu prosequendo, quod *Ei* in laurea doctorali Te propediem conspicere et certamen literariorum inire obtigerit. Floreas felicissime, vigeas atque valeas diutissime! Dabam Erford. d. XIII. Sept. MDCLXIV.



Errata extantiora:

- §. VII. pag. 13. lin. 17. pro instituendis lege: instituentibus.  
§. VIII. pag. 15. in allegat. sub a) pro thes. 2. lege: §. 3.  
§. IX. pag. 16. in alleg. sub a) pro thes. 3. lege: §. 3.  
§. XI. pag. 18. in alleg. sub b) pro thes. 6. lege: §. 6.  
§. XIII. pag. 19. in lin. 2. pro in viis lege: in vivis.  
§. XV. pag. 21. in allegat. sub f) pro cap. 4. §. 2 et 3 lege: §. 4. cap. 3.  
§. XVI. pag. 22. in lin. 5. pro in medium prælata lege: in medium prolara.

HERONIUS COTTILIUS HARTING

adinde auctor dicitur in libro p. 272. s. 1711 MDCCXIX.

ERFURT, Diss., 1761/67

SS.

ULB Halle  
004 995 333


3



VDR8



# Farbkarte #13



1764.2  
C.30. num. 16.  
A3

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIS  
GERMANICI  
DE EO,  
**VOD IVSTVM EST,**  
RCA PORTIONEM STATV-  
ARIAM CONIVGI SVPERSTI-  
TI, EX DEFVNCTI BONIS DEBITAM,  
QVAM  
DVLGENTE ILLVSTRI FACVLTATE IVRIDICA  
IN PERANTIQA ELECTORALI ACADE-  
MIA ERFVR TENSİ  
PRAESIDE  
FACVLTATIS IVRIDICAE DECANO  
**RVDOLPH. CHRISTOPH.**  
**HENNE, IC<sup>TO</sup>**  
NIS ICTORVM ET IN EMINENTISS. ELECT. MOG.  
OVINC. IVDICIO ADSESS. NEC NON PAND. P. P. O.  
DIE XIX. SEPT. M DCCL XIV.  
VDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI H. C.  
PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS CONSE-  
QVENDIS PVBLICAE ERVDITORVM  
CENSVRAE SVBMITIT  
AVCTOR  
**ORG. FRIDERICVS HENR. HARTVNG**  
ERFVR TENSIS.

DIAE, AERE HENR. RVDOLPHI NONNII, ACAD. A TYP.

